

tis institutione lectae sunt: sed utramque quæstionem seposuerunt Patres. Item, alia relatio ejusdem Congregationis de multis imponendis in dispensationum concessionē, lecta est: sed negotium istud melius Conciliis Provincialibus relinquendum duxerunt.

Tandem Congregatio de gravaminibus relationem attulerunt de querelis contra Ludovicopolitanum, propter ejus agendi rationem super cœmeterio quodam Germanorum. Secretarium jussérunt Patres iis qui querelas suscitarant respondere, juxta verba prædictæ relationis, Revmū et Illmū D. Ludovicopolitanum in eo negotio nonnisi juris canonici præceptis, et Conciliorum Baltimorensium statutis obtemperasse. Hoc Secretarius die Jovis perfecit.

Dein, quum de novis Sedibus esset agendum, abi-
runt Secretarii.

CONGREGATIO SEPTIMA ET ULTIMA PUBLICA.

ADFUERUNT Revmī Archiepiscopi et Episcopi omnes, Ordinum Religiosorum Superiores, et theologi.

Inter theologos iterum argumentum erat de parœciarum institutione, et de districtuum ecclesiastico-rum partitione.

Antequam huic Congregationi ultimæ publicæ finis imponeretur, Revmū et Illmū D. Archiepiscopus Baltimorensis blande theologos allocutus est, eorumque diligentiam doctrinamque in gravissimis argumen-tis agitandis, modestiamque in sententiis edicen-dis præclaram, amplissimis verbis commendavit.

CONGREGATIO NONA PRIVATA,

DIE MERCURII, MAI 19, HORA 10 A. M. HABITA.

ADFUERUNT Patres omnes cum Officialibus.

Lecta est epistola ad SS. D. Papam, nomine Concilii mittenda, quam quum approbassent Patres, voluerunt eam nitide conscribi, ita ut post Congre-gationem postmeridianam, singuli ei subscribere possint.

Latum est decretum, *Quum sapientissimo con-silio.*

Propositum fuit Societates ad scholas catholicas sustentandas instituere; sed votis Patrum exquisi-tis, dum quindecim statuendas vellent, sexdecim in partem contrariam iverunt.

Lata sunt decreta sequentia: *Visum est Patribus valde expedire*, de Cancellariis statuendis; *Consuli-mus Episcopis*, de Seminariis ecclesiasticis; *con-su-lendum episcopis ut in suis*, de librorum examine; *Ne de vi et obligatione*, de promulgatione decreto-rum hujus Concilii.

Proposito quodam decreto de cœmteriis, illud sancire noluerunt Patres: pariter Societatem ad jura fidelium tuenda instituere recusarunt.

Pittsburgensi, Carolopolitanu et Ludovicopolitanu onus datum est curriculum studiorum satis amplum designare, cui Seminariorum ecclesiasticorum alumni sese dent.

Tunc, quum de nominationibus esset agendum, recesserunt Secretarii.

CONGREGATIO DECIMA PRIVATA,

DIE MERCURII, MAI 19, HORA 5 P. M. HABITA.

HABITA est hæc Congregatio in ædibus Archiepiscopalibus. Adfuerunt Patres omnes cum Officialibus.

Lata sunt decreta sequentia: *Hortantur Patres ut ubique*, de piæ ad propagandam fidem Societatis in hisce Provinciis institutione; *Commendamus fidelibus*, de precibus pro conversione acatholicorum; *Expedit episcopos normam*, de censuris ferendis; *Societas omnes*, de Societatibus quibusdam laicorum; *Hortando episcopos*, de consilio sacerdotum adhibendo; *Patres censuerunt*, de ratione rerum temporalium ecclesiarum administrationis quotannis exigenda; *Moneant episcopi sacerdotes*, de scholarum cura.

Iterum lecta sunt ista et multa ex decretis jam latis, ut cuique copia esset emendationes propoundendi.

Iterum perfectæ sunt et approbatæ epistolæ sequentes:

Epistolæ tres ad summum Pontificem.
Epistola una ad Eñum Principem JACOBUM PHILIPPUM, S. R. E. Cardinalem FRANSONI, S. Congregationis de Propaganda Fide Praefectum.

Epistola Pastoralis ad clerum populumque harum Provinciarum.

Epistola a Mobiliensi, gallico sermone conscripta, ad piam ad propagandam fidem Societatem.

Epistola a Philadelphiensi, germanico sermone, ad piam Leopoldinam, aliasque Germaniae Societas, scripta.

Epistola a D. Montisregis ad Illñum et Revñum Archiepiscopum Mexici.

Dein, quum de novis Sedibus esset agendum, recesserunt Secretarii.

Circa finem istius Congregationis, recedente Illñmo et Revñmo D. Præside, Patres ex consilio Revñi et Illñi D. Archiepisci Cincinnatensis, noluerunt finem huic Concilio imponere quin Revñmo et Illñmo D. Archiepiscopo Baltimorensi, Sedis Apostolicæ Delegato, gratias maximas agerent.

CONGREGATIO UNDECIMA ET ULTIMA PRIVATA,

DIE JOVIS, MAI 20, FESTO ASCENSIONIS D. N. J. C.
HORA 9 $\frac{1}{2}$ IN ÆDIBUS ARCHIEPISCOPALIBUS HABITA.

ADFUERUNT Patres omnes cum Officialibus. Perlecta sunt reliqua ex decretis jam latis, ut cuique Patrum liceret emendationes proponere, aut verba limare.

Lecta quoque est, et approbata epistola ad Illñum et Revñum D. PAULUM CULLEN, Archiepiscopum Armacanum, Primatum totius Hiberniae, a Baltimorensi conscripta, quum ab ea consribenda sese heri excusasset Cincinnatensis.

SESSIO QUARTA SOLEMNIS,

DIE JOVIS, MAI 20, QUI ERAT FESTUM ASCENSIONIS D. N. J. C.

HORA 10 $\frac{1}{2}$, facta est processio Patrum omnium, Ordinum Religiosorum, Congregationumque Superiorum, theologorum et multorum sacerdotum, eodem ac Dominicis præteritis ordine, ab ædibus Archiepiscopalibus ad ecclesiam Metropolitanam. Missam Pontificalem celebravit Illñmus et Revñmus

D. Neo-Aurelianensis, cui adstiterunt archidiaconus, Adm. Rev. D. F. LHOMME; diaconus, Rev. D. EDUARDUS QUIGLEY; subdiaconus, Rev. A. J. ELDER: diaconi vero prope thronum assistentes fuere Adm. Rev. D. H. B. COSKERY, et Rev. D. T. FOLEY.

Absoluta Missa, concionem ad populum habuit Ill̄mus et Rev̄mus D. Bostoniensis. Dein cantati sunt psalmi et orationes juxta præscripta Pontificalis Romani pro ultima Sessione.

His finitis, Secretarius alta voce perlegit decreta omnia, iis exceptis quæ Dominica præcedenti lecta et approbata fuerunt. Tunc instantे Rev̄mo Promotore, Rev̄mus et Ill̄mus Archiepiscopus Baltimoresis Patres allocutus est: *Placetne vobis, venerabiles Fratres, hæc quæ lecta sunt decreta approbare, et confirmare?* Omnibus autem respondentibus, *Placet, approbamus, confirmamus;* ex mandato ejusdem Rev̄mi Præsidis, id proclamavit Secretarius, his verbis:

Nos, Franciscus Patritius, Archiepiscopus Baltimorensis, et Sedis Apostolicæ Delegatus, aliique Archiepiscopi et Episcopi, in hoc sacro Concilio Plenario adunati, decreta hæc quæ mox lecta sunt, approbamus, et confirmamus.

Deinde Patres omnes decretis super altare majus positis nomina juxta ordinem subscripsere.

Rev̄mus et Ill̄mus D. Baltimoresis tunc a Patribus petiit, num eis placeret decreta ista ad pedes SS̄mi D. N. Papæ per manus Chicaginensis deferri, ut S. Sedis revisioni et recognitioni subjiciantur: cui omnes lubenter assensum præbuerunt.

Ill̄mus et Rev̄mus D. Archiepiscopus Neo-Eboracensis surgens inter Patres, tunc nomine omnium

gratias amplissimas Rev̄mo Baltimoresi, Delegato Sedis Apostolicæ, egit, eique et omnibus de Concilio ad tam felicem exitum perduto, verbis gravissimis, et ad commovendos animos aptissimis, gratulatus est. Rev̄mus et Ill̄mus D. Baltimoresis quum ei respondere vellet, lacrymis sermonem abrumpere coactus est.

Rev̄mus Promotor tunc petiit finem Concilio imponi: Rev̄mus autem Archipræsul Patres interrogavit: *Venerabiles Fratres, placetne vobis, ad Dei omnipotentis laudem, hujus Concilii Plenarii finem jam fieri?* Respondentibus singulis, *Placet;* ita prosecutus est Secretarius:

Nos Franciscus Patritius, Archiepiscopus Baltimorensis, Sedis Apostolicæ Delegatus, aliique Patres qui huic Concilio Plenario intersumus, quum absoluta sint quæ pro temporis ratione agi gerique posse videbantur, quumque pastoralis cura ad Ecclesiarum nostrarum status et pastorales vigilias revocet, propterea huic sancto Concilio finem imponi censuimus.

His peractis, et stantibus omnibus, factæ sunt Acclamations.

ACCLAMATIONES.

Archidiaconus. Regi seculorum immortali, Omnipotenti DEO, sempiternus honor et æterna gloria.

Chorus. Dignus est Dominus Deus noster accipere gloriam, et honorem, et benedictionem in secula seculorum.

Archid. Sanctissimæ et Immaculatæ Virgini, Dei genitrici MARIÆ, reverentia, laus, et piissima gratulatio.

Chorus. Beatam illam dicant omnes generationes, et sit benedicta in æternum.

Archid. Beatissimo Pio Papæ, successori principis apostolorum, totius Ecclesiæ capiti, ac vero Christi in terris vicario, pax a Deo, et omnimoda prosperitas.

Chorus. Effundat super eum Deus noster abundantes divitias gratiæ suæ, tantumque pontificem diu Ecclesiæ suæ sospitem et incolumem servet.

Archid. Revmo Archiepiscopo Baltimorensi, Sedis Apostolicae delegato, et hujus Concilii Plenarii præsidi, cum multis annis plurimæ gratiæ.

Chorus. Jam in praesenti tempore accipiat benedictionem a Domino, et in futuro seculo coronam gloriæ.

Archid. Revmis Archiepiscopis et Episcopis qui ad hoc celebrandum Concilium accesserunt, incrementum donorum cœlestium, et felix ad suas ecclesias redditus.

Chorus. Gratia Domini Nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus, sit cum omnibus illis.

Archid. Admodum Rev. Abbatibus et Communatum Superioribus, ac theologis, qui præsentia, doctrina, laboribus, patres Concilii tam egregie juverunt, magnæ grates, et bona in Christo memoria.

Chorus. Magnæ grates, bona memoria: Dominus retribuat.

Archid. Cunctis fidelibus nostrarum Provinciarum, ac universo populo Christiano, gratia et pax a Deo Patre, et CHRISTO JESU Domino nostro.

Chorus. Ipse Deus pacis sanctificet eos per omnia, ut quietam et tranquillam vitam agant in omni pietate, castitate, ac praxi bonorum operum.

Archid. Decreta hujus sanctæ synodi assidua veneratione prosequamur, et fideliter custodiamus.

Chorus. Semper veneremur, semper custodiamus.

Archid. Juxta monitum apostolicum et propheticum, satagamus nos, fugientes mundi corruptionem, constanter adhaerere Deo, donec occurramus omnes in mensuram ætatis plenitudinis Christi, et in terram viventium.

Chorus. Amen, amen.

Tum denique cantatus est ab omnibus hymnus *Te Deum*, necnon ab Archiepiscopo Baltimorensi præscriptæ Orationes; et impertita ab eodem solenni benedictione, omnes processionaliter ad aedes Archiepiscopales reversi sunt.

DECRETA CONCILII.

I. **P**ATRES hujus Concilii Plenarii, ex omnibus Statibus Fœderatis Americæ Septentrionalis congregati, præside Archiepiscopo Baltimorensi tanquam Apostolicæ Sedis Delegato, summum quo Sedem Apostolicam Romanam prosequuntur, obsequium profitentur: agnoscent quippe, juxta definitionem in Concilio Florentino promulgatam, Romanum Pontificem successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi, in beato Petro, pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiæ a Domino nostro JESU CHRISTO plenam potes-